

1284 gener 25. Girona

El rei Pere II atorga a la ciutat de Girona, en vint-i-un capítols, les modalitats de la seva organització política, fiscal, econòmica, edilícia, jurídica i militar.

- A. Original pergamí, nº 52 (363 × 530 mm), en altre temps segellat, conservat a l'AHCG.
- B. Registre matrìu del document conservat a l'ACA, Cancelleria, reg. 62, f. 46-v.
- C. Còpia de A de principis del s. XIV conservada en el *Llibre Verd*, f. 8-9v.
- a. Ed. de la còpia A per VALLS TABERNER, *loc. cit.*, p. 136-139 (doc. VIII).

De contribucion a fer en serveys veynals. Item, de moltes altres coses. E aquest privilegi és apelat d'en Proensal.^a

In Dei nomine. Noverint universi quod, cum nos Petrus, Dei gratia Aragonum et Sicilie rex, recedentes de generali curia quam celebravimus Barchinone, essemus in civitate Gerundensi personaliter constituti, universitas civitatis predice nobis obtulit capitula et peticiones qui inferius declarantur, suplicans nobis humiliter ut ea dicte universitati concedere dignaremur. Nos vero, eiusdem suplicationibus inclinati, visis et intellectis capitulissupradictis,eidemgratiamfacerevolentes,fecimusconcessionemdeipsescapitulisetpetucionibus,utinferiusdeclaratur:

Primum capitulum concedimus isto modo quod in omnibus serviciis vicinalibus que in civitate Gerunde fieri contingent, solvant omnes communiter, per solidum et per libram, ad noticiam illorum qui electi fuerint in collectores ipsorum servitorum et quod isti collectores sint manus, scilicet maioris, mediocris et minoris. In regalibus vero serviciis volumus quod privilegia eorum obtineant, prout fieri debeat robur firmitatis.

Aliud capitulum concedimus isto modo quod omnes illi qui electi fuerint ad colligendum collectas et tallias que fient in civitate predicta, compellantur per officiales nostros ad colligendum ipsis collectas et tallias dum modo satisfiat eis competenter ad cognitionem illorum qui ipsis elegerint in collectores, nisi aliquam iustum excusacionem hostenderint propter quam predictis collectis interesse non possint. Nolumus tamen quod propter eleccionem predictam aliquis de non solvendo partem suam in predictis collectis et serviciis iuxta facultates bonorum suorum valeat se tueri.

Aliud capitulum concedimus quod collectores collectarum et talliarum predictarum teneantur semel in anno tantum reddere rationem et compotum de ipsis collectis et talliis /8v/ que colligent et recipient illis qui per universitatem civitatis predice electi fuerint ad audiendum compotum supradictum. Preterea postquam compotum suum iustificaverint, volumus quod exinde racione ipsis compoti modo aliquo non vexentur.

IV. Aliud capitulum concedimus isto modo quod quilibet collectorum predictorum cum electus fuerit, teneatur iurare quod bene et legaliter se habeat in colligendis collectis et talliis supradictis et ad utilitatem civitatis predice.

V. Aliud capitulum concedimus isto modo quod banna ponantur et constituantur in civitate Gerunde, prout antiquitus est fieri consuetum.

VI. *De exercitu.* Aliud capitulum concedimus isto modo quod quocienscumque exercitus opportuerit exire a civitate Gerunde qualibet ratione, quod non agraventur amplius pauperes quam divites, set omnes communiter teneantur ire in exercitibus supradictis.

VII. Aliud capitulum concedimus isto modo quod nullus officialis noster recipiat aliquod servicium ab aliquo vel aliquibus pro emfranquimento exercitus, sed quod omnes in propriis personis teneantur ire in exercitibus supradictis, nisi iustum excusacionem habuerint remanendi.

VIII. Aliud capitulum concedimus isto modo quod cives et habitatores Gerunde non teneantur solvere pro morabatino censuali, nisi tot denarios Barchinone quot valebit aurum unius morabatini fini.

IX. Aliud capitulum concedimus isto modo quod nundine civitatis Gerunde incipient die Sancti Martini et durent duodecim diebus et quod omnis homo possit vendere quoscumque pannos voluerit *a tail* in quocumque loco voluerit civitatis dum nundine duraverint antedice.

X. Aliud capitulum concedimus isto modo quod cives Gerunde utantur et uti possint usaticis Barchinone et consuetudinibus a bonis usibus que in civitate predicta habere consueverunt.

XI. Aliud capitulum concedimus isto modo quod super verbis iniuriosis que dicta fuerint per aliquos in civitate predicta, observetur usaticus Barchinone et prout /9/ antiquitus est fieri consuetum.

XII. Aliud capitulum concedimus isto modo quod omnes homines habitantes in civitate predicta vel eius terminis qui emerint possessiones vel aliquas alias res infra terminos hostagii civitatis predice, qui non sint de tallia civium predictorum, teneantur solvere et solvant pro eisdem partem suam in talliis et collectis quas universitas dicte civitatis solvere contingat, nisi privilegio vel alia iusta causa valeant se tueri.

XIII. Aliud capitulum concedimus isto modo quod super denunciacione novi operis quod, si ille qui operatus fuerit, iuraverit quod putat operari ad suum directum et firmaverit ad noticiam sui iudicis, quod delent ipsum opus si appareret iniustum, spacium trium mensium super hoc minime volumus observari.

XIV. Aliud capitulum concedimus isto modo quod inquisicio non possit fieri contra aliquem vel aliquos civitatis predicte, nisi prout^a temporibus retroactis fieri consuevit et prout de iure fieri debet.

XV. Aliud capitulum concedimus isto modo quod nullus civis Gerunde ponatur in questionibus vel tormentis, nisi secundum usaticum Barchinone secundum quod antiquitus est fieri consuetum.

XVI. Aliud capitulum concedimus isto modo quod, a die mercurii ante festum Pasce Resurreccionis Domini usque in crastinum eiusdem festivitatis, nullus iudeus sit ausus exire extra callum dum modo per christianos^b ipsis iudeis illicita non fiant.

XVII. Aliud capitulum concedimus isto modo quod nullus iudeus possit compellere christianum ad firmandum vel causidicandum in eius posse pro honoribus vel possessionibus quos teneat pro eodem, sed christianus teneatur firmare in posse nostro vel nostri officialis.

XVIII. Aliud capitulum concedimus isto modo quod iudei Gerundenses teneantur mittere et ponere medietatem in operibus que fient ad tuicionem civitatis Gerunde, prout antiquitus est fieri consuetum.

XIX. Aliud capitulum concedimus isto modo quod observetur civibus /9v/ Gerundensibus capitulum concessum in privilegio generali curie Barchinone super facto bovatichi, ut in ipso plenius continetur.

XX. Aliud capitulum concedimus isto modo quod sex probi homines civitatis predicte elegantur quolibet anno pro gubernanda ipsa civitate, de quibus sint duo manus maioris et alii duo mediocris et alii duo minoris, et omnes teneantur prestare sacramentum in posse nostri baiuli de habendo se bene et legaliter circa gubernacionem et ordinacionem civitatis.

XXI. Aliud capitulum concedimus isto modo quod nullus coronatus seu portans habitum clericale teneat officium pro nobis.

Predictas quidem concessiones ad suplicationem universitatis predicte in civitate Gerundensi constitutorum concedimus, fecimus et volumus perpetuo inviolabiliter observari. Mandantes vicariis, curiis, baiulis et universis officialibus nostris, presentibus et futuris, quod predictas concessiones observent et faciant inviolabiliter observari. Ad hec nos infans Alfonsus, predicti domini regis primogenitus, ad requisitionem universitatis predicte, de voluntate et assensu ipsius domini regis, laudamus, concedimus et approbamus omnia et singula supradicta, ut superius continetur.

Acta fuerunt hec in civitate Gerunde supradicta, octavo kalendas februarii, anno Domini millesimo CC° octuagesimo tercio.

Signum (*signe reial*) Petri, Dei gratia Aragonum et Silicie regis.

Signum (*signe*) infantis Alfonsi, illustris regis Aragonum primogeniti, qui hec laudamus et firmamus, appossum hic per manum Petri Marchesii, scriptoris nostri, loco, die et anno prefixis et nichilominus huic instrumento sigillum nostrum apponi fecimus per eundem. /10/

Testes sunt: Guillelmus, vicecomes Castrinovi, Petrus Arnaldi de Botenach, Arnaldus de Curçavino, Bernardus de Perataillada, Poncius de Sancta Pace, Bernardus Hugonis de Cabrenz, Guillelmus de Sancto Vincencio.

Signum + Petri de Bonastre, predicti domini regis scriptoris, qui mandato eiusdem hec scribi fecit et clausit, cum litteris rasis et emendatis in linea VII^a, ubi dicitur «valebit», loco, die et anno prefixis.

a. *Amb lletra del segle xix:* en 9 de novembre de 1819 se sacó copia con paper. *Al marge dret, foli 8, línies 7-12 agrupades i cita tardana:* et que dicantur servicia vicinalia vel regalia, habetur in foli CCCLVIII° et CCCCXIII°. *Foli 8v, nota línia 14. Foli 9, clau que inclou les línies 1-3, 6-9 i cita tardana:* de novi operis numeracione; *línies 10-11, cita tardana:* de inquisitionibus, línies 12-13: de tormentis *nota davant del capítol 16. Foli 9v, capítol XX:* qualiter possunt eligi sex jurati; *línia 4: nota, com davant del capítol XXI. Dibuix representant un cap amb tonsura davant del capítol XXI, C. b. christianis, C.*